

Distinctio XXXVI

Pars Prima

/Vb 390ra; X 826a/ “Solet hic quaeri”, etc. Postquam determinavit Magister de nomine scientiae divinae, in parte ista gratia dictorum tria dubia incidentaliter introducit. Primum quidem, cum dictum sit quod omnia sunt in Dei cognitione et in Dei praesentia, an etiam concedi possit quod sint in eius essentia. Secundum vero an etiam concedi possit quod mala sint in Deo, sicut et bona. Tertium vero, gratia istorum, quomodo Deus dicatur esse in rebus. Et secundum hoc tria facit. /X 826b/ Secundum facit ibi: “Post praedicta”. Tertium ibi, distinctio 10 37: “Et quoniam demonstratum est”.

Dicit itaque primo quod hic solet quaeri an concedi possit quod omnia sint in divina essentia vel per essentiam in Deo, cum cognitio et praesentia Dei non sit aliud quam eius essentia; conceditur autem quod omnia sunt in eius praesentia et in eius cognitione. Et respondet Magister quod istud sane conceditur, quod omnia sint in Dei praesentia, non tamen quod in 15 essentia ne per hoc intelligeretur quod omnia essent per essentiam idem quod Deus.

Haec est sententia. /X 827a/

Utrum omnia sint praesentia aeternaliter Deo secundum aliquod esse, vel existentiae vel essentiae, aut saltem ut cognita obiecta.

20 Et quia Magister hic determinat quod omnia sunt in Dei praesentia, quamvis non in essentia, ideo inquirendum occurrit utrum omnia secundum aliquod esse, vel existentiae vel essentiae, aut saltem secundum esse cognitum, sint Deo praesentia ab aeterno.

Quod res secundum esse existentiae sint aeternaliter in praesentia Dei et praesentes aeternitati. Et videtur quod res secundum esse existentiae praesentes sint aeternaliter Deo. 25 Impossibile est enim aliquam vicissitudinem aut mutabilitatem contingere circa Dei praesentialitatem. Sed nisi res in sui existentia praesentes essent aeternaliter Deo, sed nunc praesentes essent, nunc non essent, mutatio et successio esset circa Dei praesentiam. Ergo de necessitate omnia sunt praesentia secundum suas existentias immutabiliter et aeternaliter ipsi 30 Deo.

Praeterea, si res secundum suas existentias non essent sibi semper praesentes, sequeretur quod Deus aliquid aspiceret ut praeteritum et aliquid ut futurum. Sed Augustinus dicit super Psalmum XLIX quod apud Deum nihil praeteritum nihilque futurum est, cum ille sit omnia futura et ei non <dehantur> [dehantur Vb] praeterita. Ergo omnia in suis existentis immutabiliter 35 et praesentialiter Deo coexistunt.

Praeterea, sicut se habet Dei [om. Vb] immensitas ad omnia loca, sic Dei aeternitas ad omnia tempora. Sed omnia loca praesentia sunt Deo et Deo coexistunt ratione suae immensitatis; non enim potest deesse alicui loco. Ergo et omnia tempora praesentia, praeterita, atque futura <coexistunt> [coexistent Vb] Deo et <attinguntur> [attingentur Vb] ab eo actualiter ratione suae 40 aeternitatis, et per consequens quicquid futurum est, est praesens secundum suam existentiam aeternitati divinae.

Praeterea, illud quod sic coexistit nunc temporis quod ipsum non excedit attingendo praeteritum et futurum, commensuratur ipsi nunc temporis. Sed manifestum est quod aeternitas est duratio non commensurata ipsi nunc temporis, sed penitus excedens. Ergo aeternitas cum 45 hoc quod attingit nunc praesentis temporis exceditur et attingit praeteritum et futurum, alioquin erit duratio non infinita in actu, sed ipsi nunc proportionalis et commensurata.

Praeterea, quicquid nunc aeternitatis potest attingere, attingit in actu, alioquin esset in potentia. Unde, Philosophus in III *Physicorum* dicit quod in perpetuis non differunt esse et /Vb 390rb/ posse. Sed nunc aeternitatis potest attingere omne tempus et omne quod futurum est. 50 Ergo actualiter attingit.

Praeterea, non est maioris simplicitatis centrum circuli respectu omnium punctorum signabilium in centro quam nunc aeternitatis respectu omnium nunc in tempore signabilium. Sed manifestum est quod centrum propter sui simplicitatem praesens est actu cuilibet puncto signabili in circumferentia circuli, quod patet ex linea /X 827b/ ducibili a quolibet puncto

55 circumferentiae in ipsum centrum. Ergo nunc aeternitatis praesens erit in actu cuilibet instanti temporis praeteriti vel futuri.

Praeterea, si omnia tempora permanerent et non fluerent succedendo, tunc nulli dubium esset quin Deus sua aeternitate cuncta tempora clauderet omnia instantia praesentialiter attingendo. Sed hoc nullatenus impedit, quia aeternitas continet indivisibiliter et simul infinitatem durationis et successivae distentionis, sicut immensitas infinitatem quandam permansivae extentionis. Ergo non debet videri impossibile quod Deus omnia instantia temporis sibi invicem succedentia actualiter et praesentialiter sua aeternitate attingat. Et confirmatur per illud Boethii, V *De Consolatione*, dicentis quod aeternitas est “interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio”. Non simul autem et totaliter possideret, si essentiae rerum sibi succederent praetereundo et subsequendo.

65 Praeterea, dicit Boethius in eodem V quod Deo est semper aeternus ac praesentarius status, taliaque apud se praesentia spectat qualia in tempore futura provenient. Et subdit quod cuncta respiciens divinus intuitus qualitatem rerum minime perturbat apud se quidem praesentium, ad condicionem vero temporis futurarum. Sed haec vera non essent nisi omnia secundum
70 existentias suas praesentialiter coexisterent aeternitati divinae. Igitur id quod prius.

Quod res saltem secundum esse essentiae Deo praesentes sint ab aeterno. Ulterius videtur quod saltem res secundum esse essentiae Deo sint praesentes ab aeterno. Res enim habent a Deo esse existentiae secundum quod sunt effectus eius ut est causa efficiens; habent autem esse
75 essentiae prout sunt effectus eius in quantum causa exemplaris. Sed ab aeterno creaturae sunt exemplares, cum Deus ab aeterno sit exemplar et causans per modum exemplaris, sicut causat ex tempore per modum efficientis. Ergo creaturae ab aeterno sunt Deo praesentes secundum esse essentiae.

Praeterea, Philosophus dicit I *Posteriorum* quod universale semper est et ubique. Sed quiditates sunt universale, quod est res. Igitur ipsae sunt ab aeterno, et constat quod non in esse
80 existentiae. Igitur fuerunt semper secundum esse essentiae.

Praeterea, Philosophus dicit ibidem quod de non-ente non est scientia. Sed Deus ab aeterno novit omnem creaturam. Ergo fuerunt ab aeterno aliquo modo entia, non autem sub esse existentiae. Ergo sub esse essentiae.

85 Praeterea, haec propositio vera est ab aeterno: ‘homo est animal’, cum scientia sit de incorruptibilibus et aeternis et impossibilibus aliter se habere secundum Philosophum, VI *Ethicorum* et I *Posteriorum*; unde omnes veritates scibiles sunt incorruptibiles et aeternae. Sed hoc esse non posset, nisi rerum essentiae essent aeternae; impossibile est enim compositionem animalis cum homine esse aeternam nisi extrema essent aeterna, scilicet homo et animal,
90 alioquin esset habitudo et complexio /X 828a/ terminorum sine terminis, quod impossibile est. Ergo homo et animal, et sic de aliis essentiis, sunt aeterna.

Praeterea, omne illud quod non habet causam nec est factibile sed est omnino a se est aeternum, quia quod ab aeterno non est incipit esse /Vb 370va/ ex tempore et per consequens per aliquam actionem. Sed homo est homo a se, nec aliquis facit quod homo sit homo; unde non
95 est quaerenda causa quare homo sit homo secundum Philosophum, VII *Metaphysicae*. Igitur homo secundum esse essentiae est a se et aliquid aeternum.

Praeterea, res sunt in praedicamentis secundum suas essentias et per suum esse essentiae. Sed manifestum est quod, dum non existunt, adhuc sunt in praedicamentis, alioquin rosa in hieme non esset in praedicamento. Ergo res, dum non existunt, habent esse essentiae, et per
100 consequens ab aeterno, quamvis non existant, erunt essentiae. Et si dicatur quod res sunt in praedicamento per operationem intellectus, non valet, quia tunc desinerent esse praedicamenta, dum homines dormirent et cessarent actu intelligendi.

Praeterea, nulla rosa existente adhuc magis est ens quam chimaera et ista quae sunt fictitia et prohibita. Sed hoc non esset, nisi quatenus rosa esset ens quiditative et quia esset essentia; chimera vero nulla est essentia. Ergo rosa habet esse essentiae dato quod non existat.

Praeterea, omne relativum est aliquid praeter relationem, ut Augustinus dicit, VII *De Trinitate*, capitulo 1. Sed quando res non existunt, relatio intelligibilis vel actualis intellectionis passivae fundatur super res; nulla enim rosa existente ipsa obiicitur intellectui in ratione obiecti cogniti, ita quod relatio intelligibilis et actualiter intellectui fundatur super rosam. Igitur rosa erit

110 aliquid in se. Certum est autem quod non secundum esse existentiae. Ergo relinquitur quod secundum esse essentiae.

Praeterea, particularis et indefinita affirmative convertuntur simpliciter, ut ‘Homo est animal. Ergo animal est homo’. Sed haec est indefinita et vera: ‘aliquid est creabile’, igitur et sua conversa: ‘creabile est aliquid’; omnes autem creaturae ab aeterno fuerunt creabiles, ergo
115 fuerunt aliquid, sed non secundum esse existentiae. Igitur secundum esse essentiae.

Praeterea, Augustinus, I *De doctrina Christiana*, dicit quod veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus, nam est in rerum ratione perpetua divinitus instituta. Et Anselmus dicit libro *De veritate*, capitulo 1, quod veritas non habet principium neque finem, et probat hoc quod si habuit principium, antequam ipsa inciperet, verum erat quod
120 non erat veritas, et si habet finem, postquam erit finita, verum erit quod nunc non est veritas; igitur veritas esset antequam veritas esset, et erit postquam non erit, quod inconvenientissimum est. Sed manifestum quod veritas complexorum non potest esse aeterna, nisi simplices termini illarum complexionum aeterni sint. Igitur id quod prius. /X 828b/

125 **Quod creaturae saltem sint ab aeterno Deo praesentes in esse cognito.** Ulterius videtur quod res sint Deo praesentes saltem secundum esse cognitum. Quia non minoris perfectionis est divinus intellectus quam humanus. Sed intellectus humanus creaturas habet praesentes in ratione obiectiva et secundum esse cognitum. Ergo multo fortius divinus intellectus aeternaliter creaturas habet sibi praesentes.

130 Praeterea, Augustinus dicit in libro *De verbis Apostoli*, homil. IX, quod Deus habet electos apud semetipsum non in natura sua, sed in praesentia sua. Sed haec non essent vera nisi res essent Deo praesentes secundum esse cognitum. Igitur id quod prius.

Praeterea, Augustinus, *Super Genesim*, libro V, capitulo 7, dicit quod cuncta, antequam fierent, erant et non erant: erant in Dei scientia et non erant in sua natura. Sed haec non essent
135 vera nisi res essent Deo praesentes secundum esse cognitum. Igitur hoc concedendum.

Praeterea, Augustinus, *Super Psalmos*, exponens illud: “pulchritudo agri mecum est”, dicit quod omnia sunt apud Deum quadam cognitione ineffabili sapientiae /Vb 390vb/ suae. Sed hoc non potest aliter intelligi nisi quod res sunt apud Deum praesentes in esse [eo Vb] cognito. Igitur id quod supra.

140 Praeterea, Augustinus in pluribus locis ponit rationes aeternas in divina intelligentia contineri; et Plato posuit, ut Philosophus dicit, I *Caelo et mundo*, ideas in mente opificis. Sed huiusmodi rationes et formae aeternae non possunt poni divina essentia, cum essentia non sit plures nec multiplicata. Igitur necesse est quod sint creaturae divino intellectui obiective praesentes.

145 **Quod creaturae in nullo esse sint Deo praesentes ab aeterno.** Sed in oppositum videtur quod creaturae secundum esse existentiae non coexistent praesentialiter divinae aeternitati. Illud enim quod in se non existit, nulli coexistit, cum coexistere existere praesupponat. Sed constat quod creaturae in aeternitate non existunt. Ergo nec aeternitati coexistunt.

150 Praeterea, videtur quod secundum esse essentiae non sint praesentes Deo ab aeterno, quia quando aliqua sunt unum et idem realiter, impossibile est ipsa ab invicem separari. Sed probatum est supra quod esse essentiae et existentiae idem sunt realiter. Constat autem quod creaturae aeternae non sunt secundum esse existentiae. Igitur nec secundum esse essentiae.

Praeterea, videtur quod nec etiam sint praesentes Deo aeternaliter secundum aliquod esse
155 cognitum; impossibile enim est multitudinem infinitam poni in actu aliquo modo, cum definitio infiniti quantitativi sit quod est id cuius quantitatem accipientibus semper est sumere extra, secundum Philosophum, III *Physicorum*, reprobantem illam descriptionem infiniti positam ab antiquis: infinitum est infra cuius quantitatem est esse; unde patet quod ratio infiniti consistit in accipiendo et non in accepto esse. Sed manifestum est quod, si omnia essent praesentia Deo
160 secundum /X 829a/ esse cognitum, multitudo infinita poneretur secundum esse cognitum in actu; praesentialitas enim denotat habitudinem inter illud cui est praesens et illud quod est praesens. Constat autem quod multitudo omnium entium praesentium et futurorum infinita est. Ista igitur ut distincta a Deo esset in actu in divina praesentialitate et divino intuitu, et ita multitudo infinita esset iam accepta, infra cuius quantitatem omnia continentur et nihil extra,

165 quod repugnat definitioni infiniti, ut dictum est. Ergo non est possibile quod res sint praesentes Deo secundum esse cognitum.

Responsio ad quaestionem. Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque inquiretur de creaturis an sint praesentes Deo aeternaliter secundum esse suae
170 existentiae. Secundo vero an secundum esse essentiae. Tertio quoque an saltem praesentes sint sibi secundum esse cognitum.

Articulus Primus

**Opinio Thomae, parte prima, quaestione 14, articulo 13, et libro I *Contra Gentiles*,
175 capitulo 66.** Circa primum ergo considerandum quod aliqui dixerunt quod aeternitas tota simul existens sic ambit totum tempus, ut omnia quae in tempore sunt sint ab aeterno Deo praesentia, non solum ea ratione quia habet apud se praesentes rationes omnium rerum, sed quia omnia, prout sunt in sua praesentialitate, attinguntur ab aeternitate. Et est exemplum ad hoc de centro, quod extra circumferentiam existens directe oppositionem habet ad quodcumque punctum in
180 circumferentia existens, quamvis puncta circumferentiae secundum situm non coexistant simul; ordo enim situs in continuitatem circumferentia<m> facit. Similiter etiam quicquid in quacumque parte temporis est coexistit aeterno quasi praesens eidem, etsi respectu alterius partis temporis sit praeteritum vel futurum. Aeterno autem non potest aliquid praesentialiter coexistere /Vb 391ra/ nisi toti, quia successionis durationem non habet, et ideo, si umquam
185 aeterno futura erunt praesentia et coexistentia, iam actu coexistunt. Est etiam aliud exemplum ad hoc de baculo in fluvio existente, cui coexistunt successive partes fluentes ipsius fluvii, et tamen baculus semper immobilis est. A simili etiam nunc aeternitatis, cum sit simplex et semper manens, totus in actu est attingens quamlibet partem temporis, et quamvis partes sibi invicem in tempore succedant, non tamen per respectum ad aeternitatem succedunt, sed sunt semper sibi
190 praesentes.

Haec autem opinio fulciri potest rationibus octo superius arguendo primo loco inductis et videtur fuisse expressa intentio sanctorum. Nam Augustinus, *De vera religione*, capitulo 47, dicit quod nihil praeteriit in aeterno, nihilque futurum est; et XV *De Trinitate*, capitulo 8 dicit quod ea quae dicuntur Deo praeterita non praetereunt, nec ea quae dicuntur futura quasi desint,
195 expectantur ut veniant; et V *De Trinitate*, capitulo ultimo, dicit quod apud Deum nec praeterita transierunt et futura iam facta sunt. Similiter Anselmus, *De casu diaboli*, capitulo 18, dicit quod /X 829b/ Dei praescientia non dicitur proprie praescientia; cui enim semper omnia sunt praesentia, non futurorum praescientiam sed praesentium scientiam habet. Richardus etiam, II *De Trinitate*, capitulo 23, dicit quod, sicut eorum quae non sunt nihil Deo futurum est, sic
200 eorum omnium quae iam praesentialiter sunt nihil ei transitorium est. Similiter etiam Isidorus, *De summo bono*, libro I, capitulo 6, ait quod in Deo nec praeteritum nec futurum aliquid creditur, sed omnia praesentia in eo dicuntur, quia aeternitate sua cuncta complectitur, alioquin mutabilis Deus credendus est, si ei successiones temporum ascribantur. Boethius V *De consolatione*, capitulo ultimo, videtur istud sentire per totum.

205 **Opinio Durandi praedictam opinionem exponentis.** Dixerunt vero alii quod res esse praesentes aeternaliter Deo potest intelligi vel secundum esse intuitum – quasi divinus intuitus videat res quae futurae sunt in suo esse determinato et in sua praesentialitate, et sic intellexerunt positores primae opinionis, secundum istos, quod res sunt praesentes aeternaliter ipsi Deo –, vel
210 potest praesentialitas accipi secundum esse reale, et sic non est verum nec primi positores intellexerunt.

Sed hic modus exponendi est omnino ad oppositum intellectum; constat enim quod positores praedicti reddunt causam quare Deus certam scientiam potest habere de futuro contingenti ex hoc quod non sunt Deo futura sed in sua actualitate praesentia, quia futurum, dum praesens est,
215 potest subesse certae cognitioni etiam sensitivae, non autem prout futurum. Sed constat quod haec esset petitio principii manifesta, si praesentialitas referretur ad esse cognitum; probare namque quod futurum certitudinaliter cognoscatur quia praesens est secundum esse cognitum est dicere quod ideo cognoscitur quia est cognitum. Igitur hoc non intellexerunt quod isti eis imponunt.

220 Praeterea, exemplum illorum extitit de centro per respectum ad quemlibet punctum
circumferentiae, cui dixerunt simile esse de nunc aeternitatis per respectum ad quamlibet partem
temporis. Unde aeternum dixerunt coexistere praesentialiter toti tempori, quia de novo non
potest coexistere, cum non habeat successionis durationem, sed nunc aeternitatis non aspicit ad
tempora, nec coexistit tantum secundum esse cognitum, immo attingit secundum esse reale.
225 Ergo praesentialitatem temporum et eorum coexistentiam ad aeternum non intellexerunt
secundum esse cognitum tantum.

Opinio Scoti et Garronis. /Vb 391rb/ Dixerunt autem alii quod, licet nunc aeternitatis sit
infinite formaliter et ita excedat nunc temporis, non tamen ratione istius infinitatis potest
230 coexistere non-existentibus, sicut immensitas Dei excedit formaliter omnem differentiam loci,
nec tamen propter hoc sequitur quod sit praesens nisi loco existenti in actu. Unde potest dici
quod Deus habet virtutem coexistendi ratione suae aeternitatis cum omnibus quae fiunt et fieri
possunt in tempore successive. Et ex hoc aeternitas excedit nunc temporis, non propter actualementem
attingentiam ultra ipsum, sed propter /X 830a/ virtualem quae attingere poterit quando res
235 futurae ponentur in actu.

Quod autem res actualiter et in sua realitate non attingantur ab aeternitate, quando in se non
sunt, sed futurae sunt, apparet ex multis. Primo quidem quia per immensitatem, quamvis sit
infinite, non coexistit Deus locis non-existentibus, sed existentibus tantum, quare nec propter
aeternitatem, licet sit infinite, coexistet nisi partibus temporis existentibus. Secundo vero quia
240 relationem realem coexistentiae vel praesentiae impossibile est actualiter esse vel intelligere sine
existentia extremorum; extremum autem alterum, scilicet creatura futura, omnino nihil est in se,
alias creari non posset, quare respectum realis coexistentiae vel praesentialitatis ad Deum non
poterit fundare. Tertio quoque quia, si res secundum esse existentiae hoc modo sunt aeternitati
praesentes, sequitur quod non-esse creaturae non praecessit duratione esse ipsius, et per
245 consequens creari non posset, quia iam existens in actu respectu suae causae, videlicet virtutis
creativae, creari non potest; illud enim quod iam est rursus fieri non potest, ut patet I
Physicorum.

Sed, licet conclusio istorum vera sit, nihilominus rationes non videntur currere contra
mentem primae opinionis. Prima siquidem non, quia immensitas non ita respicit non-existentia
250 sicut aeternitas, quia aeternitas est aliquid in Deo loco omnis durationis successivae, ut scilicet
unum simplex existens et totum simul aequipolleat omni successioni, et ita illam actu attingat;
immensitas autem non est aliquid existens in Deo ad attingentiam successivorum, sed quasi
quiddam indivisibile loco magnitudinis permansivae; et idcirco virtute aeternitatis videtur Deus
posse attingere non-entia, non autem virtute immensitatis. Secunda etiam non videtur
255 concludere contra mentem illorum, nam attingentia qua Deus creaturam attingit non est relatio
realis ex parte Dei, nec etiam attingi ipsius creaturae est pro isto nunc temporis, sed pro illo
nunc in quo creatura erit; non fundat ergo, nec est terminus huius coexistentiae, in quantum
nihil est, quia non fundat pro nunc, sed in quantum aliquid erit, nec etiam aeternitas dicitur pro
isto nunc attingere creaturam, sed pro quanto ultra istud nunc exceditur, ut attingat futurum.
260 Tertia quoque procedere non videtur, quia non-esse creaturae praecedit esse tempore, quamvis
aeternitas attingat simul existens non-esse quod praecedit et esse quod sequitur; nec creatio
tollitur, quia non est pro nunc in actu respectu virtutis creativae, sed erit aliquando in actu et illa
actualitas nunc ab aeternitate attingitur. Unde omnes istae rationes procedunt ac si ponerentur
res aeterno coexistere, prout virtualiter continet praeteritum et praesens, et prout illis coexistit.
265 Non ponuntur autem sic coexistere, sed tantum prout habet vim qua actualiter attingit futurum,
unde et relatio coexistentiae seu praesentiae creaturarum futurarum ad ipsam aeternitatem non
est quidem pro nunc temporis, sed erit, et illam actualiter aeternitas terminat, prout attingit
futurum in quo illa realis praesentia ponetur in actu /Vb 391va/ ex parte creaturae. Universaliter
ergo omnes tales /X 830b/ instantiae videntur peccare per fallaciam consequentis, quia medium
270 est in plus quam quodlibet terminorum et excedit quemlibet terminum, et ideo non sequitur
quod illud quod attribuitur medio, scilicet aeterno in ordine ad alterum terminorum, ut per
respectum ad futurum, attribuat ei per respectum ad praesens vel praeteritum. Et propter hoc
simul stat quod res non sit et quod suum non-esse tempore praecedat suum esse, et quod res
nondum creatur, sed creabitur et quod realis praesentia non est pro nunc, sed erit; et tamen

275 aeternitas, in quantum extendit se ad futurum, attingit praesentialiter esse creaturae.

Quid dicendum secundum veritatem, et primo quomodo Deus est praesens vel coexistens tempori ratione aeternitatis. Restat igitur nunc dicere quod videtur sub triplici propositione.

Prima quidem quomodo Deus est praesens et tempori coexistens ac ipsum attingens. Et est
280 considerandum quod Deus simpliciter abstrahit ab omni tempore et praesentia qualibet ad
tempus et ad coexistentiam cum eodem, quod potest multipliciter declarari. Nulla enim realis
relatio ponenda est in Deo in ordine ad creaturam, ut superius dicebatur. Sed praesentia ad
tempus aliquod importat relationem ad ipsum; praesens enim dicitur alicui praesens. Ergo dici
non potest quod Deus sit durationi temporis coexistens per modum praesentialem. Et si dicatur
285 quod relatio praesentialitatis est ex parte creaturae, et ita dicitur praesens non relatione quae est
in se, sed relatione quae est in creatura (sicut dicitur dominus quia creaturam habet servam), non
valet utique, quia praesentia est relatio aequiparantiae, sicut amicitia. Unde non potest poni
quod creatura sit Deo praesens, quin etiam e converso Deus sit sibi praesens.

Praeterea, praesentia est relatio simultatis, fundata super unitate situs vel super unitate
290 durationis. Super unitate quidem situs fundatur, cum corpus contingens aliud dicitur sibi
praesens; super unitate vero durationis, sicut ea quae sunt in eodem nunc simultanea et
praesentia dicuntur. Sed manifestum est quod Deus nec habet situm nec durationem formaliter,
ut declaratum est supra, in quaestione de aeternitate; probatum est enim ibi quod omnis mora et
omnis duratio est formaliter quaedam distentio prioris et posterioris vel terminus illius
295 distentionis, et ita tempus vel nunc temporis, de quibus constat quod non competunt Deo. Ergo
dici non potest quod Deus sit praesens tempori, immo abstrahit a tali praesentialitate.

Praeterea, talis est entitas deitatis et in tantum abstracta, in quantum abstrahit humanitas
simpliciter, si poneretur subsistere in tanta abstractione, in quanta est, dum concipitur humanitas
simpliciter vel homo; et hoc patet ex his quae dicta sunt supra in quaestione de unitate Dei. Sed
300 manifestum est quod humanitas simpliciter non est nisi humanitas tantum secundum
Avicennam, et si poneretur subsistens, ut sic abstraheretur a loco et situ et tempore et
coexistentia cum eisdem, secundum quod Plato dicebat ideas nusquam esse et numquam esse, ut
patet III *Physicorum*. Ergo Deus /X 831a/ non est nisi deitas tantum, subsistens ab omni loco
abstrahens et situ ac tempore et praesentia sive coexistentia cum eisdem.

Praeterea, Commentator dicit II *Metaphysicae*, commento 15, quod in aliquibus hominibus
305 dominatur virtus imaginativa super cogitativam, et ideo non possunt credere aliqua entia non-
corporea* [corpora *abbr.* Vb], nec in loco nec in tempore, et hoc accidit multis studentibus in
philosophia. Et Avicenna et Commentator in libro *De causis* super 29 propositione dicit quod
substantia simplex est stans per essentiam suam, quia non est nisi in non tempore, et quia est
310 altior /Vb 391vb/ et superior omni tempore. Sed ista vera non essent, si Deus haberet
praesentialitatem ad tempus, aut assisteret ipsi nunc temporis; non est enim difficile imaginari
aliquid assistens loco vel tempori, immo ex hoc quod virtus imaginativa dominatur in multis
impossibile est eis concipere aliquam entitatem simpliciter abstractam ab omni durativa
distentione et ab omni coexistentia in durando cum tempore. Similiter etiam non esset substantia
315 quae stat per essentiam suam, scilicet Deus altior tempore, si intelligeretur simul durare cum
tempore vel sibi coexistere durative per quandam praesentialitatem, quia praesentialitas dicit
simultatem, simultas vero dicit quandam unitatem alicuius secundum quod sunt simul aliqua
simultanea; et per consequens non erit Deus aliquid altius tempore stans per essentiam suam et
per se ipsum, nisi abstrahat ab omni simultate et coexistentia cum tempore. Igitur omnino
320 abstrahit ab ea.

Praeterea, coexistere ipsi nunc temporis est esse simul cum nunc temporis. Sed constat quod
Deus nullo modo est simul cum nunc temporis. Omnia enim quae sunt simul, in aliqua una
mensura sunt simul, ut simul in loco uno aut in tempore uno aut in duratione una. Non est autem
aliqua una duratio quae claudat et mensuret nunc temporis et esse Dei. Ergo nihil est dictu quod
325 esse divinum coexistat isti nunc vel illi, aut quod sit simul cum illo vel sibi praesens. Et si
dicatur quod imaginari possum unum nunc in quo sunt simul esse divinum et istud nunc
temporis, non valet quidem, tum quia illud nunc erit etiam simul cum nunc temporis, et ita
oportebit imaginari aliud nunc in quo sunt simul et procedetur in infinitum; tum quia
impossibile est imaginari aliquam mensuram aut aliquod nunc commune ipsi esse divino et ipsi

330 nunc temporis, alioquin esse divinum caderet sub mensura imaginabili a nobis, quod impossibile est. Secundum hoc enim non esset quid summum aeternitas, immo pari ratione esse divinum claudi posset sub nunc ipsius temporis, quod etiam imaginarium est.

Praeterea, illi non potest aliquid coexistere aut simul cum eo esse quod non proprie existit in aliquo nunc, nec in aliqua duratione sive mensura durativa, sed est tantummodo mensura
335 durantium et ratio quod aliqua sint simul. Sed nunc temporis est huiusmodi; non enim durat, sed est duratio seu mensura indivisibilis illorum quae durant, et est ratio quod aliqua sint simul, utpote illa quae mensurantur et clauduntur sub ipso, dicuntur enim simul quae sunt in eodem nunc. /X 831b/ Ergo impossibile est quod ipsum nunc cum aliquo sit simul, non enim durat, sed est duratio, siquidem si duraret in aliquo nunc, duraret et illud in alio et sic in infinitum. Unde
340 dici non potest quod Deus coexistat ipsi nunc temporis, sed potius rebus quae mensurantur in ipso nunc. Sed neque hoc dici potest, quia quae coexistunt rebus quae sunt nunc, non propter aliud coexistunt, nisi quia et ipsa sunt in isto nunc; esse autem divinum non continetur sub hoc nunc, immo penitus abstrahit ab ipso et per consequens ab omni simultate et coexistentia cum eodem.

345 Est ergo considerandum quod aeternitas in Deo dicit quandam impossibilitatem non-essendi per abstractionem omnimodam a quacumque formali duratione; connotat tamen aliquo modo tempus, non quod includat praesentialitatem aut simultatem aut coexistentiam cum eodem, sed quia entitas aeterna est entitas abstrahens, immutabiliter existens ab omni duratione et tempore, per quam quidem abstractionem concipitur ut superior entitas et altior tempore et quocumque
350 temporali. /Vb 392ra/ Unde non potest intellectus comparare totum decursum temporis, etiam infiniti, per quandam coexistentiam aut simultaneam coextensionem cum entitate aeterna, cum nullo modo aeterna entitas sit applicabilis aut comparabilis ad tempus, quia penitus abstrahit et tempus a se praescindit, sed comparatur omnino negative et praecisive. Concipit enim mens aliquam entitatem immutabilem, abstractam ab omni tempore et differentia temporis, et ex hoc
355 statim apprehendit quod nullum tempus deest sibi, quia si deest, statim concipitur ut mutabilis entitas et possibilis non esse. Unde considerandum quod entitas simpliciter subsistens, abstracta ab omni duratione, cum sit quaedam necessitas essendi, comparatur ad infinitam durationem tamquam ad aliquid inferius et quasi subsidens, non sicut ad aliquid simultaneum et coexistens, per hoc enim quod quaedam necessitas abstracta ab omni tempore et coexistentia, cum eodem
360 apprehenditur ut quid altius et quasi praesidens illi a quo abstrahitur et cum abstrahatur a quolibet nunc temporis, apprehenditur necessario ut altior entitas et praesidens cuilibet nunc ipsius temporis. Istud enim praesidere non est aliud quam abstrahendo a quolibet dato nunc existere; non potest enim intellectus aliquid nunc in tempore signare, quin apprehendat entitatem divinam ab illo entitative abstrahi et ita altiori modo existere et existendo praecellere
365 et praesidere. Et ita aeternitas connotat tempus per modum cuiusdam subsidentis et inferius stantis, ut superius dicebatur. Istud autem subsidere videtur quaedam praesentialitas, non est autem praesentialitas simultatis aut coexistentiae, sed subsidentiae eo modo quo illud a quo fit abstractio dicitur subsidere abstracto, et e converso Deus dicitur praesidere et praesidendo praesens esse, non secundum aliquam simultatem, sed potius per oppositum, quia per
370 abstractionem eo modo quo abstractum concipitur ut quoddam altius illi a quo abstrahitur et praecellens ad ipsum, et ita patet sub quo sensu dicitur Deus tempori esse praesens. /X 832a/

**Quomodo Dei aeternitas, cum sit tota simul, dicatur attingere totum tempus, etiam infinitum, quia non actualiter coexistendo contra Thomam, nec virtualiter contra
375 Garronem, sed actualiter et simultanee abstrahendo ab infinito decursu temporis.** Secunda vero propositio est quod Dei aeternitas, licet infinita sit et tota simul, non dicitur attingere totum tempus actualiter coexistendo sua praesentialitate aut simultate omnibus partibus temporis, sicut prima opinio videbatur imaginari. Hoc autem sequitur ex praedictis, si enim quod magis videtur inesse non inest, nec id quod minus; sed magis videretur quod aeternitas coexisteret tempori
380 praesenti praesentialiter et simultanee quam praeterito vel futuro, quia, cum praesens aliquid actu sit, praeteritum vero iam non sit, futurum autem nondum sit, patet quod praesens magis habet attingibilis rationem. Sed manifestum est ex praedictis quod Deus sua aeternitate non attingit coexistendo praesentialiter sed simultanee tempus praesens, immo totaliter abstrahit, nec habet coordinationem cum ipso. Ergo impossibile est quod hoc modo totum tempus praeteritum

385 et futurum attingat.

Praeterea, impossibile est aliquod attingibile esse continuum et divisibile, quantumcumque attingens sit indivisibile, quin attingentia ipsa sit divisibilis et continua. Verbi gratia, si punctus attingeret continuum et moveretur super ipsum et hoc poneretur possibile, non dubium quod alia esset attingentia qua coexisteret primae parti continui /Vb 392rb/ ab illa qua coexisteret alteri
390 parti; et similiter centrum quod dicitur praesens cuilibet puncto circumferentiae, non dubium quod per aliam lineam attingit alium punctum. Et ratio huius est quia, cum attingentia vel praesentialitas apprehendatur per modum habitudinis mediantis inter attingens et attingentum, habitudo autem multiplicetur ratione alterius extremorum, impossibile est quod attingentum multiplicetur secundum partes, quin attingentia pariter multiplicentur; nam inter punctum
395 indivisibile et multa alia puncta ad invicem disparata impossibile est unicam lineam mediare. Sed constat quod decursus ipsius temporis est divisibilis et continuus. Ergo quantumcumque aeternum indivisibile sit, non poterit attingere totum decursum temporis una attingentia simplici, immo necessario continua et divisibili; hoc autem impossibile est, quia vel esset permanens attingentia illa secundum omnes partes suas, quod esse non potest, quia tunc
400 habitudo permaneret termino non manente; aut erit successiva secundum suas partes, et sic Deus in attingendo succedet, nec erit totum simul aeternum, nec actualiter attingens, cuius oppositum isti volunt. Igitur poni non potest quod aeternitas actualiter totum tempus coexistendo attingat.

Ulterius nec dicitur aeternitas virtualiter posse attingere totum tempus. Illud enim non dicitur alicui inesse virtualiter, quod impossibile est reduci ad actum, quia virtus et potentia dicuntur in
405 ordine ad actum, ut patet in IX *Metaphysicae*. Sed impossibile est hoc reduci ad actum, quod scilicet Deus ratione aeternitatis coexistat /X 832b/ praesentialiter et simultanee alicui parti temporis, ut ex praedictis patet. Ergo nihil est dictu quod virtualiter totum tempus attingat.

Praeterea, illud quod virtualiter praesens est cuilibet parti temporis, sic quod nunc est simul cum una et nunc cum alia, taliter se habet ad tempus quod per respectum ad ipsum aliquid potest
410 dici praeteritum et aliquid futurum. Illud enim quod iam attingit et attingere desiit est sibi praeteritum; quod vero nondum attingit, sed attinget est sibi futurum; quod vero actu attingit est sibi praesens. Sed constat quod hoc dici non potest de Deo, cum abstrahat a tota linea successionis et fluxu temporis, immo hoc est expresse contra omnia dicta sanctorum, cum Augustinus, *Super Psalmos*, dicat quod Deo non detrahuntur praeterita; et in liber *De vera*
415 *religione* dicat quod sibi non veniunt futura. Ergo dici non potest quod Deus aeternitate sua potentialiter et virtualiter totum tempus attingat. Et confirmatur per illud Boethii, V *De consolatione*, qui dicit quod aeternitas totam vitae interminabilis plenitudinem pariter comprehendit et cui neque futuri quidquam absit nec praeteriti fluxerit.

Sic igitur patet quod necesse est dare unum de tribus, quia vel aeternitas successive defluxum temporis sua praesentialitate et quadam simultate attingat, ut nunc uni parti sit
420 praesens, nunc alteri, quod omnino dici non potest, cum repugnet dictis sanctorum et divinae actualitati, respectu cuius nihil praeteriit nihilque futurum est; aut quod totum decursum temporis simul actualiter attingat sua praesentialitate, et hoc magis absonum est, cum attingentia talis necessario sit divisibilis, et per consequens actualis et permanens esse non possit; aut quod
425 detur tertium, videlicet quod nec praesens est successive omnibus partibus temporis, nec etiam praesens in actu et simul, sed omnino abstrahit a coexistentia cum toto tempore infinito, et hoc omnino verum est et de intentione sanctorum et philosophorum. Propter hoc enim Augustinus ait, V *De Trinitate*, capitulo 1, quod intelligimus Deum sine situ praesidentem /Vb 392va/ sine tempore sempiternum, quasi per abnegationem et abstractionem cuiusdam necessariae entitatis
430 ab omni tempore et successione intelligatur Deus aeternus; similiter VIII *Super Genesim*, capitulo 31, dicit quod omnino incommutabilis est illa natura trinitatis et ob hoc aeterna ipsa apud se ipsam et in se ipsa sine ullo tempore. Propter hoc etiam dicit Boethius, libro V *De consolatione*, quod Dei praescientia non praeventia sed providentia potius dicitur, quod procul a rebus infimis constituta quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. Propter idem dicit
435 Richardus, II *De Trinitate*, capitulo 3, quod Deo omnium quae iam sunt nihil est ei transitorium, quod verum non esset nisi abstraheret totaliter a tempore et a praesentialitate ad ipsum. Propter idem etiam dicit <auctor> [actor Vb] *De causis* et Commentator ibidem quod substantia simplex quae Deus est est altior et superior omni tempore. Et universaliter ad hoc currit intellectus eorum quod, quia divina entitas apprehenditur ut quaedam impossibilitas non-essendi, abstracta

440 totaliter ab omni tempore, etiam infinito, et a praesentialitate ac simultate cum /X 833a/ eo, idcirco dicitur aeternus, et omnia tempora per modum cuiusdam abstractionis complecti, transcendendo enim et abstrahendo ab omni tempore videtur illud sibi subicere et quasi infra se continere et subtus se habere.

His tamen videntur aliqua obviare. Constat enim quod chimaera abstrahitur ab omni tempore et apprehenditur ut abstracta. Manifestum est autem quod non ex hoc apprehenditur ut aeterna. Ergo talis abstractio non sufficit ad conceptum aeternitatis.

Praeterea, omnis quiditas concipitur ut abstracta a tempore; humanitas enim abstrahit ab hic et nunc et esse et non-esse secundum Avicennam, V *Metaphysicae*. Sed non ex hoc omnis quiditas est aeterna. Igitur id quod prius.

450 Praeterea, superius dicebatur quod aeternitas connotat tempus infinitum. Sed connotans non abstrahit a connotato, immo ipsum ponit. Igitur repugnancia est in dicto.

Praeterea, abstrahere a tempore non videtur nisi aliquid privativum. Sed aeternitas includit aliquid positivum, ut patet ex definitione Boethii, qui dicit quod est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio; et subdit quod Deus immobilis vitae praesentarium et infinitum statum possidet. Ergo ad conceptum aeternitatis circa Deum non sufficit ipsum abstrahere ab omni tempore.

Sed istis non obstantibus dicendum est sicut prius. Est tamen considerandum quod non omnis abstractio a tempore ponit aeternitatem, sed abstractio rei existentis in actu. Dictum est enim supra quod esse et essentia differunt tantum conceptibiliter, pro eo quod illud idem importatur per esse modo operationis et actionis et actus quod importatur per essentiam per modum habitus et quietis et otiantis a primo operari. Nunc autem sic est quod operari et agere etiam actu primo, utpote lucere vel vivere, impossibile est intelligi quin tempus aliquod aut duratio cointelligatur. Necessario enim apprehenditur quod vivere sit in tempore seu divisibili duratione, aut in duratione indivisibili quae dicitur nunc vel instans, aut quod abstrahatur ab omni tempore et duratione et relinquatur vivere seu agere concipiendo tempus ut quid subiectum nec aliquo modo mensurans, immo se habeat ipsum agere ad tempus tamquam aliquid illi supra positum abstrahendo. Et hoc modo intelligitur aeternitas, si referatur agere ad tempus infinitum tamquam ad subiectum quid et suppositum; aeviternitas vero, si referatur ad tempus finitum. Et secundum hoc patet quomodo aeternitas et aeviternitas non sunt durationes /Vb 392vb/ formaliter, sed connotant durationem abstrahendo ab ea. Cum igitur esse sit quoddam agere primum et intransitivum, ut superius dicebatur, patet quod apprehendi non potest nisi cointelligendo durationem et tempus et hoc vel abstrahendo ab omni tempore infinito, ut cum dicimus quod Deus est aeternaliter, vel non abstrahendo sed cointelligendo ipsum per modum mensurae, sicut dum attribuitur esse rebus quae sunt sub tempore et duratione.

475 Nec procedunt instantiae. Prima siquidem non, nec etiam secunda, quia abstractio rei conceptae /X 833b/ per modum habitus et quietis, utpote chimaerae aut etiam humanitatis, non connotat tempus. Sed abstractio ipsius esse aut rei conceptae per modum operationis per necessitatem coincludit conceptum temporis, et idcirco impossibile est quod abstrahatur ab omni tempore aliquid ut existens, quin ipsum relinquatur aeternum. Unde qui conciperet chimaeram existere, sic quod suo existere omne tempus infinitum esset subditum et subiectum, suum vero esse abstractum esset et praesidens omni tempori, necessario chimaera intelligeretur aeterna.

Non valet etiam tertia, quia abstrahere potest referri ad id quod abstractum est vel ad ipsam rationem abstractionis. Licet ergo id quod abstrahitur non connotet illud a quo abstrahitur, alioquin species individua connotaret, tamen ratio abstractionis connotat tamquam terminum id a quo fit abstractio; impossibile est enim concipi aliquid ut abstractum, quin cointelligatur quod ab aliquo est abstractum. Dictum est autem quod de cointellectu ipsius esse est aliqua duratio temporalis vel instantanea, quam quidem durationem oportet cointelligi ipsi esse vel per modum mensurae vel per modum subditi et substrati cuiusdam, et ita connotari tamquam id a quo sit abstractio. Sic igitur intelligere oportet aeternitatem durationem connotare.

Non valet etiam quarta, quia nullum aliud positivum includit aeternitas circa deitatem, nisi quod oportet illam intelligere per modum cuiusdam agere et esse. Esse autem ipsius est vivere quoddam subsistens, cui subiicitur interminabilis duratio et infinitum tempus, et ita est possessio vitae formaliter, circa quam apprehenditur interminabilitas et praesentialitas et omnia talia

495 connotative per abstractionem, scilicet ad interminabile tempus.

Quod futura non sunt actualiter praesentia et coexistentia aeternitati contra primam opinionem, nec tamen propter hoc aliter se habent praesentia ad Deum quam praeterita vel futura, contra tertiam. Tertia quoque propositio est quod futura non sunt realiter aut
500 actualiter praesentia aeternitati; non enim magis coexistunt aeternitati futura quae non sunt quam praesentia quae actu sunt. Sed declaratum est quod loquendo de simultate coexistentiae praesens tempus non <coexistit> [coexit Vb] Deo, immo totaliter Deus abstrahit ab eo et ipsum substernitur et subiicitur Deo; nec aliud est praesentia Dei ad praesens tempus quam esse divinum connotare praesens tamquam id sine quo est, ut aliquid eminentius et abstractum. Ergo
505 nec futura actualiter simul erunt aut coexistent cum Deo.

Praeterea, si creaturae futurae actu coexistunt aeternitati, aut illa coexistentia quae est habitudo media et relatio creaturae ad Deum mensuratur aeternitate, aut praesenti tempore, aut futuro. Sed non aeternitate, cum talis relatio sit quaedam creatura; nec praesenti tempore, quia tunc relatio esset in praesenti, cum tamen eius fundamentum nondum sit, scilicet creatura; nec
510 mensuratur tempore futuro, quia quod futurum est, actu non est, et per consequens per huiusmodi /X 834a/ coexistentiam, quae actu non est creatura, actualiter Deo non coexistet. Igitur poni non potest.

Praeterea, non magis /Vb 393ra/ una creatura est Deo praesens quam alia. Sed creatio passiva creatura est quae tamen, si futura est, non est actu praesens Deo, alioquin creatio animae
515 Antichristi, quae virtuti creativae coniuncta erit, actualiter coniuncta eidem virtuti, esset praesens ipsi Deo, et per consequens actu animam Antichristi crearet, quod omnino dici non potest. Ergo nulla creatura futura actu actualiter habet simultatem cum Deo.

Praeterea, de Deo dicta ex tempore non insunt sibi ab aeterno; non enim ab aeterno creavit. Sed, si praesentia dicerent simultatem aliquam, non est dubium quod relatio simultatis esset
520 realis ex parte creaturae et rationis ex parte Dei, et per consequens non esset nisi nova denominatio dicta de Deo ex tempore, quia ex positione actuali ipsius creaturae et realis relationis existentis in creatura. Ergo non posset attribui Deo ab aeterno praesentialitas rationis ad creaturam futuram.

Est tamen considerandum quod non propter hoc aliter se habent ad Deum praeterita quam
525 futura, quia Deus uniformiter se habet ad illa, abstrahendo videlicet ab eis et a coexistentia simultanea cum eisdem. Unde ipso extra successionis et omnis durationis lineam existente tempus, quod infra eum subiacet, variatur, et succedit ipso eminentius praesidente et quasi in cacumine et procul residente, sicut dicit Boethius quod quidem cacumen non aliud designat nisi omnimodam abstractionem.

530 Et in hoc articulus primus finitur.

Articulus Secundus

An res secundum esse essentiae sint ab aeterno. Opinio Henrici. Circa secundum vero considerandum quod aliqui dixerunt rerum essentias positive manere corrupto omni esse
535 existentiae, tum quia essentia indifferens est ad esse et non-esse, secundum Avicennam, V *Metaphysicae*; tum quia quilibet experitur se posse considerare de essentia, utpote de lapide, non considerando utrum existat vel non existat; tum quia numquam verum fuit de essentia aliqua quod non esset essentia, alioquin unum oppositum praedicaretur de alio; tum quia res ab aeterno fuerunt intellectae a Deo et exemplatae in mente divina, et per consequens manentes
540 positive sine esse existentiae ab aeterno. Haec autem opinio fulciri potest rationibus decem, superius arguendo secundo loco inductis.

Opinio Richardi et Garronis et plurium aliorum. Dixerunt autem alii quod, sicut est de esse existentiae quod quandoque sumitur in actu, quandoque vero ut in potentia, sic est etiam de
545 essentia, propter quod non manet positive essentia dum non existit in actu, sed tantummodo in potentia, et hoc sufficit ad salvandum quomodo res sint in praedicamento et qualiter sit de ipsis /X 834b/ scientia. In praedicamento quidem sunt et quia praedicamenta distinguuntur per actum et potentiam, ut patet III *Physicorum* et V *Metaphysicae* (et ideo res, prout sunt in potentia, adhuc sunt in praedicamento, quamvis minus proprie quam quando sunt in actu), et quia

550 remanent essentiae in suis principiis, non quidem formaliter in se ipsis, nec in principiis
proximis, sed in causa remota, quae Deus est, sufficit autem ad esse praedicamentabile alterum
istorum trium, quamvis magis proprie sint in praedicamento res cum manent in se ipsis
formaliter, minus autem proprie cum manent in suis principiis proximis, impropriissime vero
555 cum manent in causa remota. Scientia quoque potest esse de rebus et essentiis existentibus in
potentia, propter hoc quod passiones sunt etiam in potentia; non enim demonstrantur passiones
in esse in actu, secundum quod possunt in esse, sicut patet de rosa quae, cum est in potentia, non
dicitur esse rubei coloris in actu, sed tantummodo in potentia.

Opinio aliorum. Dixerunt vero alii quod non manent essentiae rerum dum non existunt, et
560 propter hoc non potest de eis esse vere scientia. Unde re destructa /Vb 393rb/ destruitur et
scientia, vel saltem non est aequae perfecta sicut dum sunt in actu. Et ratio huius est quia esse
quod ponitur in qualibet propositione non potest verificari nisi correspondeat entitas in re extra;
cum enim dicitur ‘rosa est rubea’, si nec rosa nec rubedo sit, patet quod propositio est falsa.

565 **Quid dicendum secundum veritatem, et primo quod non sunt aeternae rerum essentiae
nec permanent in se ipsis positive corruptis existentibus, contra primam opinionem.** Restat
igitur nunc dicere quod videtur sub triplici propositione. Prima quidem quod rerum essentiae
destructis existentibus positive non remanent in se ipsis, ac per hoc non possunt esse aeternae.
Probatum est enim supra quod esse existentiae et essentiae [essentia Vb] realiter sunt idem,
570 immo etiam ratione, quamvis differant in modo concipiendi eiusdem rationis et rei, nunc
quidem per modum habitus et quietis, nunc vero per modum fieri et actus. Hoc ergo posito patet
quod contradictio est quod remaneant essentiae secundum aliquid positivum corruptis
existentibus; impossibile est enim quod idem separetur a se ipso, aut quod maneat et non maneat,
aut quod sit aeternum et non aeternum. Sed esse et essentia sunt realiter idem, ut probatum est.
575 Ergo quod essentia realiter maneat et esse realiter corrumpatur, aut quod realitas essentiae sit
aeterna, realitas vero existentiae non aeterna, contradictio est.

Praeterea, si realitas essentiae positive maneret sine existentia ab aeterno, sequeretur quod ex
tempore non essent creaturae factae de nihilo, et per consequens non essent creatae. Quod enim
manet secundum realitatem suae essentiae non est nihil, cum realitas essentiae sit id quo res
580 formaliter est; unumquodque enim est per suam essentiam /X 835a/, ut patet VII *Metaphysicae*.
Sed manifestum est quod negare creationem, aut quod res non sint factae de nihilo, est omnino
erroneum. Igitur illud poni non potest. Et confirmatur per illud Anselmi, *De casu Diaboli*,
capitulo 13, qui dicit quod mundus, antequam fieret, nihil erat.

Praeterea, omnis entitas in tantum dependet a Deo quod subiacet eius omnipotentiae,
585 alioquin si detur entitas quae non subiaceat, illa erit a se, nec erit creatura. Sed manifestum est
quod, si realitas essentiae sit aeterna et positive remaneat existentia iam corrupta, necessario erit
aliqua entitas non subiaccens omnipotentiae divinae; non enim poterit Deus annihilare illam
entitatem, quod omnino absonum est. Igitur id quod prius.

Praeterea, omne quod manet per essentiam suam dicitur in sui natura manere. Sed
590 Augustinus, V *Super Genesim*, capitulo 7, dicit quod res, antequam fierent, erant in Dei scientia,
et non erant in sui natura. Igitur secundum realitates suae essentiae non manebant.

Praeterea, si rerum essentiae absque existentibus permanent in se ipsis secundum aliquid
positivum, non oportet ponere intellectum agentem qui faciat res intellectas in actu. Rosa enim
quae obiicitur intellectui talis est ab aeterno qualis obiicitur, secundum istum modum dicendi, et
595 idem est de omni alia quidditate. Frustra ergo ponetur intellectus agens qui abstrahat quidditates,
cum se ipsis formaliter permaneant secundum tale esse abstractum ab omni existentia. Sed
manifestum est quod hoc omnino est Platonicum et erroneum, unde sic arguit Commentator in
III *De anima*, commento 31; ait enim quod omnia dicta ab Aristotele in hoc consistunt: quod
universalia nullum esse habent extra animam, quod intendit Plato, quoniam, si ita esset, non
600 indigeret ponere intellectum agentem. Ergo dici non potest quod maneat positive /Vb 393va/
essentiae ab aeterno existentibus corruptis.

Praeterea, si manerent per hunc modum essentiae, aut manebunt secundum numerum
specierum aut secundum numerum individuorum. Sed non potest dari primum, tum quia
quidditas specifica non habet aliquam communitatem extra intellectum, alioquin redit opinio

605 Platonis; tum quia quodlibet individuum habet propriam essentiam, et per consequens, si corrumpitur esse individui, non sufficit quod remaneat essentia specifica in communi. Nec potest etiam dari secundum, quia cum individua factibilia sint in infinitum, sequeretur quod infinitae essentiae permanerent ab aeterno, quod omnino dici non potest. Ergo non manent essentiae sine existentis in aliqua realitate positiva.

610 Praeterea, sicut fuerunt possibles essentiae ab aeterno et intellectae a Deo, ita existentia actualis. Sed nullus dicit quod rerum existentiae sint etiam aeternae, quamvis rerum existentias Deus intellexerit aeternaliter, et quamvis etiam possibles fuerint. Ergo nec essentiae propter ista poni debent aeternae. Praeterea, sicut Deus exemplar est essentiarum, ita et existentiarum. Sed non propter hoc /X 835b/ existentiae sunt aeternae. Igitur nec essentiae.

615 Praeterea, huic opinioni repugnat articulus excommunicatus ab ipso episcopo Parisiensi, qui dicit quod error est dicere quod multae veritates fuerint ab aeterno.

Quod rerum essentiae et existentiae in tantum sunt semper et aeternaliter, quod de eis potest esse perfecta scientia et possunt in praedicamentis reponi actualiter ac de ipsis

620 **possunt propositiones verae formari, contra secundam opinionem et tertiam.** Secunda vero propositio est quod hoc non obstante de rebus potest esse vera scientia et propositiones verae possunt formari et in praedicamentis possunt esse res ipsae actualiter assignari. Ubi considerandum quod non propter hoc ista competunt rebus, quia sunt in potentia ad esse in actu; illud enim non dat rebus quod sint scibiles aut obiecta scientiarum quod non consideratur in
625 scientia, immo accidit et est praeter intentionem demonstrantis. Sed praeter intentionem scientis et demonstrantis est potentialitas et actualitas rerum; demonstrans enim de triangulo quod habeat tres aequales duobus rectis non considerat de triangulo utrum actualiter sit vel in potentia, immo omnino abstrahens ab his duobus, inherentiam passionis concludit. Ergo non est verum quod potentialitas det rebus quod possint esse scibiles et obiecta scientiarum. Et si
630 dicatur quod Philosophus, I *Posteriorum*, dicit quod de subiecto oportet praecognoscere quid est et quia est, non valet, quoniam illud 'quia est' non debet referri ad entitatem potentialem vel actualem, sed ad realitatem naturae in se; oportet enim praecognoscere an sit fictitium, ut chimaera, vel aliquid verum et non fictum.

Praeterea, si actualitas existendi vel potentialitas facerent ad rerum scibilitatem, sequeretur
635 quod perfectior esset scientia geometrae quando figurae actualiter existunt quam quando actualiter non existunt sed sunt in potentia tantum. Actus enim praestantior est potentia et quicquid respicit actum et potentiam perfectius inest rebus quando sunt in actu quam quando sunt in potentia. Sed manifestum est quod scientia geometrae non est immutata propter actum et potentiam, alioquin non esset scientia habitus permansivus, ut Philosophus dicit, VI *Ethicorum*,
640 sed variaretur et nunc esset perfectus, nunc vero imperfectus et absque experientia habentis habitum scientificum. Igitur potentialitas et actualitas nihil facit ad rerum scibilitatem.

Praeterea, sub illa ratione res sunt scibiles sub qua sunt necessariae et impossibiles aliter se habere, ut patet I *Posteriorum* et VII *Metaphysicae*; unde propter hoc particularium non est definitio nec demonstratio, sed tantum sensus et aestimatio, /Vb 393vb/ quia generabilia et
645 corruptibilia sunt, ut Philosophus dicit ibidem in VII. Sed constat quod res non sunt intimae, immo mutabiles et aliter se habentes, prout respiciunt actum et potentiam. Ergo non sunt scibiles sub ratione qua sunt actu vel in potentia, quinimmo abstrahunt ab istis, in quantum scibiles sunt. /X 836a/

Praeterea, si requireretur ad scibilitatem quod res esset actu vel potentia, tunc ea quae
650 praetereunt, cum nec sint actu nec in potentia, sciri non possent, et ita <quot> [quod Vb] trianguli praeterierunt et corrumpuntur, tot demonstrarentur* a scientia geometrae qui novit omnem triangulum habere tres; unde nesciret nisi de triangulis <qui> [quae Vb] actu sunt vel qui futuri. Sed hoc est absonum. Igitur et illud, quod scilicet potentialitas aut actualitas aliquid conferat ad rerum scibilitatem.

655 Praeterea, Philosophus, I *Posteriorum*, contra Platonem arguit, qui dicebat quod sciens omnem dualitatem esse parem, nescit hoc de omni dualitate, sed de illa quam novit esse dualitatem; arguit, inquam, contra eum quod nulla propositio accipitur in scientiis per hunc modum, quem tu nosti triangulum esse, habet tres, sed absolute enunciatur de omni. Et eodem modo in proposito non accipiuntur propositiones in scientiis in ordine ad actum et potentiam, ut

660 dicatur omnis triangulus qui est in actu habet tres in actu, et qui est futurus habebit tres, et qui fuit iam habuit. Sed absolute enunciatur de omni quod habet tres. Sed constat quod hoc non fieret, si actus et potentia facerent aliquid ad scibilitatem. Igitur id quod prius.

665 Ulterius vero considerandum quod nec requiritur quod res ipsae habeant esse in suis principiis, sicut dixerunt aliqui propter rationes praedictas, quia nec sic propositiones sumuntur de rebus, nec res quae praeterierunt manent in principiis, immo tota corrupta est potentia materiae respectu ipsarum, cum non possint redire eadem secundum Philosophum et Commentatorem, V *Physicorum* et II *De generatione*. Et dato etiam quod tam principia quam res ipsae essent corruptae, utpote si caelum et omnia corpora essent annihilata, adhuc in mente angelica vel humana posset remanere scientia. Unde patet quod nihil est dictu ad rerum scibilitatem 670 exigi quod remaneant res in principiis suis.

Est igitur attendendum quod res quae sciuntur et quae ponuntur in praedicamento et de quibus propositiones formantur non habent hoc secundum illud esse quo existunt in re extra, aut secundum aliquam condicionem debitam eis, in quantum huiusmodi, quales quidem condiciones sunt actualitas et potentialitas esse in causis et principiis suis. Sed hoc competit eis in esse 675 concepto et apprehenso; propositiones enim et praedicationes ac praedicamentorum distinctiones sunt ab opere intellectus. Est autem sic quod res concepta duo includit, indistinguibiliter tamen, ut supra dum ageretur de intentionibus dictum fuit. Includit enim realitatem rerum quae sunt extra et passivam conceptionem, ex quibus constituitur unus simplex conceptus claudens rem et passivam conceptionem. Cum igitur, sive res existant sive non 680 existant, realitates ipsae et existentiae possint habere esse conceptum, patet quod habent quicquid exigitur ad hoc quod sciuntur et in praedicamenta distribuuntur aut in propositionibus et praedicationibus assumantur. Neque enim cum dicitur: 'homo est animal', /X 836b/ copula importata per verbum significat aliam entitatem nisi copulam et compositionem rei conceptae, dum apprehenditur homo, ad rem quae concipitur, dum apprehenditur animal, vel potius 685 identitatem. Unde sensus istius propositionis est quod eadem est realitas utriusque /Vb 394ra/ conceptus, et ita verificantur omnes scientificae propositiones et distinguuntur praedicamenta secundum diversos modos praedicandi talium conceptuum obiectivorum. Et salvatur aeternitas rerum prout scibiles sunt, non quia in se formaliter habeant aliquod esse, sed quia obiective aptae natae sunt habere tale esse.

690 Huic tamen obviare videtur quod res in quantum scibiles sunt non solum abstrahunt ab esse extra, et actu et potentia, immo et ab esse in anima aut potentialiter vel in actu. Nullus enim demonstrans triangulum habere tres dicit hoc de triangulo, prout est in anima, vel prout potest esse in anima, sed absolute loquitur de natura trianguli a quocumque alio abstrahendo. Similiter etiam assignando triangulum in quarta specie qualitatis non dicitur quod triangulus qui est in 695 ista specie sit in anima vel habeat esse conceptum. Ergo non est verum quod huiusmodi esse de rebus scibilitatem aut quod de ipsis propositiones formentur vel quod ordinentur in praedicamentis.

Praeterea, constat quod ab aeterno et semper non habent res actualiter esse conceptum, sed nec in potentia se tenente ex parte rerum, cum res nihil fuerint nec potuerint esse subiectum 700 respectus potentialitatis. Unde tota potentialitas sumi debet ex parte potentiae cognitivae, ideo enim potuerunt cognosci quia aliquis potuit eas cognoscere. Sed manifestum est quod non fuit intellectus angelicus vel humanus qui posset ea cognoscere ab aeterno, per intellectum autem divinum non ponuntur in esse intentionali, ut infra dicitur. Igitur non videtur quod res, prout de ipsis est scientia, possint propter hoc immutabiles poni et aeternae.

705 Sed istis non obstantibus, dicendum est sicut prius. Ubi considerandum quod primae intentiones sunt illae quae ponuntur in praedicamentis et de quibus formantur propositiones et de quibus sunt scientiae omnes et definitiones ac demonstrationes, ut patet. Primae autem intentiones includunt et realitates particularium quae sunt extra et intellectionem passivam qua formaliter dicuntur intentiones. Impossibile est enim intellectum attingere rem active quin res 710 attingantur passive, et ita passiva intellectio clauditur infra conceptum obiectivum, et per consequens infra primam intentionem quae ponitur in praedicamento, in propositionibus ac demonstrationibus scientificis, et definitionibus; scientia vero non aliter attingit res nisi definiendo, demonstrando, et propositiones formando. Quare manifestum est quod res, prout sunt scibiles, includunt conceptionem passivam.

715 Nec procedunt instantiae. Prima siquidem non; aliud est enim passiva conceptio quae indistinguibiliter adunatur cum realitate in conceptu simplici obiectivo, et aliud habitudo quam importat esse in anima quae super /X 837a/ illum conceptum obiectivum fundatur, sicut visum est supra. Licet ergo non formentur propositiones de triangulo ut est in anima, includendo scilicet istam habitudinem seu respectum, formantur tamen de triangulo qui est prima intentio et prout est triangulus simpliciter, non iste vel ille. Constat autem quod ut sic includit aliquid de opere intellectus, videlicet passivam conceptionem, alioquin triangulus simpliciter abstractus ab hoc et illo existeret sine opere intellectus, quod falsum est.

Non valet etiam secunda. Sciendum est enim quod ista aeternitas pro tanto attribuitur primis intentionibus et propositionibus formatis de ipsis, pro quanto intellectus semper invenit uniformem habitudinem inter illas, quandocumque se vertit ad eas. Unde non dicuntur aeternae vel semper esse quantum ad aliquod simplex esse quod semper habeant, quia nec semper habent esse essentiae, nec esse existentiae, nec esse intellectum, nec possibilitas ad ista dat ipsis sempiternitatem, quia non est nisi quaedam /Vb 394rb/ denominatio a potentia creativa Dei vel intellectiva alicuius apprehendentis. Dicuntur ergo aeternae quasi aequivalenter, in quantum intellectus semper habet eas praesto et in promptu, cum apprehendens vult eas meditari et semper invenit inter eas habitudinem uniformem. Et propter hoc in II *De anima* ponit differentiam Philosophus inter intellectum et sensum, dicens quod non potest homo semper sentire cum voluerit, potest autem semper intelligere quando vult. Et causa huius est, sicut dicit Commentator ibidem, commento 60, quia intellectus movetur ab intentionibus universalibus quae sunt intra animam et in nobis semper in actu, et ideo homo potest considerare in eis quando voluerit, et hoc dicitur formare; sentire autem non potest cum voluerit, quia indiget necessario sensibilibus quae sunt extra. Sic igitur est intelligenda aeternitas et entitas intelligibilium veritatum et apparet quomodo re non existente potest haberi vera et perfecta scientia de eadem.

740 **Quomodo debet intelligi differre esse essentiae ab esse existentiae.** Tertia quoque propositio est quod verba illa vulgata de esse essentiae et esse existentiae possunt quidem intelligi bene vel male. Potest enim esse intelligi per modum verbi et praedicati secundario adiacentis, ut sit sensus “esse essentiae esse illud quo essentia est”, et sic non est aliud esse essentiae quam esse existentiae; non aliter enim est essentia nisi quia existit. Unde esse isto modo significat veritatem rei de qua enunciat, immo dicit eandem rem per modum fieri et actus et cum certa duratione, ut superius dicebatur in quaestione de essentia et esse. Vel potest sumi esse per modum copulae et praedicati tertio adiacentis, ut sit sensus “esse essentiae non quidem essentiam esse”, sed potius e converso, “aliquid esse essentiam”, eo modo quo dicimus lapidem esse quandam essentiam, non autem chimaeram; et secundum hoc differt esse essentiae ab esse existentiae, sicut differt /X 837b/ lapidem esse essentiam et lapidem esse. Semper enim intelligitur vere quod lapis sit quaedam essentia, nec tamen semper verum est quod lapis sit. Non est ergo imaginandum quod esse essentiae et existentiae sint duo esse, quibus essentia sit; sed est acceptio ipsius esse, aliquando quidem per modum secundario adiacentis, aliquando vero per modum copulae. Esse quidem ut est secundario adiacens praedicat accidens, quia significatum verbi cum tempore; esse vero prout est copula non praedicat accidens, sed potius essentiam copulat et coniungit, si praedicatum fuerit essentiale, ut cum dicitur quod lapis est essentia vel ens. Et haec est mens Commentatoris, X *Metaphysicae*, commento 8, cum dicit quod in hoc fuit deceptus Avicenna: quod ignoravit differentiam inter hoc nomen ‘ens’ quod significat genus et quod significat verum; quod enim significat verum est accidens, quod vero significat genus, significat unumquodque decem praedicamentorum.

Et in hoc secundus articulus terminetur.

Articulus Tertius

765 **An creaturae sint Deo praesentes saltem secundum esse cognitum. Opinio communis.** Circa tertium vero considerandum quod dixerunt aliqui creaturas esse ab aeterno Deo praesentes secundum esse cognitum per modum obiectorum secundariorum. Nec ex hoc vilescit divinus intellectus, quia non praexigitur nec coexigitur aliquid creatum aut finitum formaliter ad actum Dei infinitum per modum praevii, sed potius per modum subsequentis et constituti per ipsum

770 actum quasi posterius quid et mensuratum. Hoc autem non repugnat divino actui, immo
necessarium est sic dici de omni actu Dei terminato ad extra. Haec autem opinio fulciri potest
rationibus quinque, superius arguendo tertio loco inductis.

Quid dicendum secundum veritatem, et primo quod res non sunt praesentes terminative
775 **divino intellectui, sed tantum denominative.** Restat in hoc articulo dicere quod videtur sub
duplici propositione. Prima quidem quod res esse praesentes aeternaliter Deo secundum esse
cognitum /Vb 394va/ distinctum a deitate impossibile est poni, quamvis dicantur esse
praesentes aequipollenter; deitatem enim praesentem divino intuitui est quodammodo eminenter
780 et plus quam aequipollenter omnem creaturam extitisse praesentem. Unde dicta sanctorum sic
debent intelligi, omnia fuisse in Dei praesentia ab aeterno, non quidem in se, sed in quodam alio
quo existente praesente, dicuntur ista praesentia denominative fuisse. Hoc autem supra fuit
multipliciter declaratum, et potest patere amplius, quia dicit articulus quod non fuerunt multae
veritates ab aeterno. Sed certum est quod fuissent, si creaturae in se extitissent praesentes divino
785 intellectui obiective; quaelibet enim essentia creaturae esset veritas /X 838a/ quaedam et multae
veritates de qualibet creatura essent in divina praesentia et divino prospectu. Igitur illud poni
non potest.

Praeterea, omnem multitudinem positam in Dei praesentia obiective potest eius omnipotentia
ponere in re extra; non enim apparet aliqua repugnantia maior in existentia quam in obiectali
praesentia. Sed impossibile est quod omnis creatura facta et factibilis ponatur simul in actu per
790 divinam potentiam, alioquin infinitum esset in actu. Igitur id quod prius.

Nec valet quod dicitur de huiusmodi creaturis, quod non essent coexigitae ad actum Dei
infinite nisi per modum cuiusdam posterioris et subsequenter, ac constituti per actum.
Quomocumque enim ponatur actus, infinitus esse non posset circumscripta praesentialitate
creaturae, et per consequens aliquid est in Deo et Deus quod non esset in eo, omni alio
795 circumscripto. Nec est simile de aliquo alio actu, nam creare et gubernare sunt aliquae realitates
elicitae, et non possunt poni in Deo, sed potius in creatura, ut habet videri in secundo.

Quod non potest in nostro intellectu poni quin creaturae praesentes sint, non solum
denominative, immo terminative. Secunda vero propositio est quod non potest sic poni in
800 nostro intellectu; videretur enim forsitan alicui dici posse quod nec res intellectui nostro aliter
sunt praesentes nisi quod denominantur praesentes ab actu intellectionis. Posita enim
intellectione in mente aut visione in oculo dicuntur res intelligi vel videri vel praesentes esse,
non quia in aliquo esse ibi existant, aut quia terminent intuitum et aspectum, sed quia earum
visio et intellectio, quae dicitur quaedam praesentialitas, est in oculo vel in mente. Nec exigitur
805 alius terminus, quia nec est ibi intuitus nec intentionalis processus aut extensio quae indigeat
terminante, sed solummodo forma quadam absoluta quae dicitur visio aut intellectio. Res
dicuntur denominative intellectae vel visae, non autem terminative, et decipit ponentes alium
intuitum vel aspectum vel intentionalem processum fallacia figurae dictionis, ut Philosophus
innuit in I *Elenchorum*; ait enim quod videre secundum figuram dictionis similiter dicitur ei
810 quod est secare vel edificare, quamvis hoc quidem quale quid et affectum quodammodo indicet,
illud autem facere. Sic igitur videtur tolli fundamentum quod ponitur de verbo et de pluribus
aliis; non enim ponitur res apprehensa in aliquo esse, sed dicitur apprehensa denominative, in
quantum apprehensio ipsius existit in anima, et tamen aequae potest operari artifex circa rem sic
apprehensam denominative, sicut potest Deus circa creaturas quas solum denominative dicitur
815 intueri et praesentes habere secundum praedeterminata.

Sed quod in intellectu nostro non valeat ita /Vb 394vb/ dici, immo necesse sit in omni
cognitione obiectum aliquod esse praesens in ratione termini, manifeste apparet. Nullus enim
negare potest quin /X 838b/ experiatur virtute actus cognitivum habere aliquid sibi praesens,
utpote rosam, dum ipsam intelligit, aut colorem exteriorem, dum ipsam videt et sentit.
820 Quaerendum est igitur quid sit illud quod anima experitur. Aut enim est forma aliqua impressa
animae cognitivae; aut ipsum obiectum non existens in eo realiter et impressive, sed tantum
assistens intentionaliter et obiective. Sed manifestum est quod non potest dari primum. Tunc
enim rediret opinio dicentium quod anima non sentit nec experitur nisi proprias passiones. Et
iterum, cum huiusmodi experiri non sit aliud quam ipsum cognoscere, sequeretur quod anima

825 non cognosceret nisi proprias passiones, et ex hoc summe vilesceret, quia non experimentaretur
res extra nec haberet scientiam de ipsis, sed de quibusdam similitudinibus et accidentibus sibi
impressis, et – quod magis absonum est – non beatificaretur immediate in Deo, sed in
similitudine creata ipsius quam experiretur in se. Ergo relinquitur quod detur secundum, scilicet
830 quod anima experiatur virtute cognitionis rem ipsam praesentem intentionaliter in esse
obiectivo. Nec est simile de Deo respectu intellectionis creaturarum, nam illud quod intuetur est
deitas; nec ullum inconueniens est, si solum experiatur terminative deitatem et omnia alia
aequipollenter, immo hoc necessarium et convenientissimum est.

Praeterea, omnis positio concedit quod obiectum non solum se habet ad potentiam
cognitivam in ratione moventis et causantis actum, sed potius in ratione terminantis aspectum.
835 Sed constat quod terminare non potest quin praesens sit, non quidem semper realiter, alioquin
rosa non existente nullus posset apprehendere rosam. Ergo necesse est quod in omni actu
intellectivo creato vel increato obiectum sit praesens et apprehendatur per modum terminantis
aspectum.

Praeterea, Augustinus, I *Soliloquiorum*, dicit quod aspectus animae ratio est; et XIV *De*
840 *Trinitate*, capitulo 6, dicit quod aspectus animae fertur in ea quae extra sunt et usque in sidera
tenditur, et contigit quod aliquid pertinens ad naturam animae est conspectus eius; et multa alia
dicit in eodem libro de acie cogitantis. Sed ista vera non essent nisi omnis actus cognitivus
intentionaliter procederet ad obiectum et nisi obiectum terminaret intuitum. Igitur necessario
poni oportet quod aliquid intelligatur terminative nec omnia intelligantur denominative; unde
845 nec Deus intelligeret creaturas aequipollenter nisi esset aliquid quod eius intuitum terminaret.

Sed forte dicetur quod secundum hoc omnis apprehensio erit materialis, ex quo est cum
quadam lineari tendentia ad obiectum. Sed dicendum quod non omnis tendentia in obiectum
suaat ipsum in determinata positione, immo apprehendens hominem simpliciter absolute tendit
in ipsum, non statuendo hic vel ibi; sed qui apprehendendo demonstrat hunc vel illum
850 necessario obiectum suaat hic vel ibi.

Et in hoc tertius articulus finitur. /X 839a/

Responsio ad obiecta. Ad ea ergo quae in oppositum primitus inducuntur dicendum est. Ad
primum quidem quod demonstrative concludit res secundum successionem temporum non
855 habere simultaneam coexistentiam aut praesentiam simultaneam cum Deo, alias circa huiusmodi
praesentialitatem /Vb 395ra/ caderet mutabilitas et vicissitudo, et ideo praesentia non est
intelligenda nisi per modum cuiusdam substrati a quo divinum esse totaliter abstrahit. Talis
quidem abstractio a toto tempore infinito intelligi non potest sine omnibus partibus temporis,
nec potest etiam intelligi absque esse divino, ex quo divinum esse necessario concipitur per
860 modum taliter abstrahentis et ita huiusmodi abstractio videtur praesentialitas divini esse cum
omni parte temporis, non est autem proprie praesentialitas, sed potius abstractio, ut dictum est.
Et per hoc patet ad omnia quae primitus inducuntur.

Ad secundo obiecta. Ad ea vero quae secundo inducuntur dicendum est. Ad primum quidem
865 quod creaturae ab aeterno non sunt actu exemplatae. Efficiens namque producendo effectum ad
similitudinem exemplaris dicitur actu exemplare; unde causa exemplaris non producit ex se
effectum, sed supponit quod effectus producat ad similitudinem sui. Et eodem modo est de
fine; agens enim producit effectum ad determinatum finem, nec oportet quod Deus, in quantum
finis, posuerit ab aeterno creaturas in esse finito et pari ratione nec in esse exemplato. Et si
870 dicatur quod secundum hoc non esset Deus finis rerum et exemplar, nisi esset causa efficiens,
cuius oppositum superius dicebatur, non valet, quoniam adhuc similitudo albedinis se haberet ad
albedinem tamquam ad exemplar dato quod non esset producta.

Ad secundum dicendum quod universale dicitur esse semper et ubique aequivallenter, quia
semper et ubique, quando volumus, habemus praesens obiective universale.

875 Ad tertium dicendum quod scientia esse non potest de non-ente, si per non-ens intelligatur
fictitium vel figmentum, ita quod implicet contradictionem.

Ad quartum dicendum quod propositio illa ‘homo est animal’ non potest esse vera nisi dum
formatur; non formatur autem nisi ab aliquo intellectu, et propter hoc non est vera nisi actu
intelligatur. Sed pro tanto dicitur semper vera, quia quotienscumque volumus, possumus eam

880 formare, unde aequipollet cuidam aeternitati. Et secundum hoc patet quod nec homo nec animal sunt secundum veritatem aeterna, sed quasi aequivalenter, ut dictum est.

Ad quintum dicendum quod homo absolute sumptus est quoddam factibile et quoddam creabile; complexe vero quod homo sit homo vel animal non est factibile aliqua actione reali, sed bene actione intellectus, qui dividendo eandem rem in duos conceptus facit com-positionem
885 unius cum altero. Actione vero reali non potest fieri talis compositio, /X 839b/ quia supponitur divisio; hoc autem non est in re.

Ad sextum dicendum quod res sunt in praedicamento, non quidem secundum realitates praecisas quas habent extra, alioquin sola individua essent in praedicamentis, cum sola individua sint extra animam. Sunt igitur in praedicamentis primae intentiones quibus admiscetur
890 aliquid de opere intellectus, ut dictum est. Et cum additur quod tunc desinent esse praedicamenta, dum homines dormient et cessabunt ab actu intelligendi, dicendum est quod, cum primae intentiones et praedicationes ac propositiones sint ab intellectu, necessario esse desinunt, si nullus sit apprehendens. Sed quia praesto est et in promptu ut statim talia fiant, idcirco dicuntur aequipollenter manere. Est autem hoc considerandum quod, dum ponitur quod
895 cesset omnis intellectus et postea enuntiatur quod adhuc /Vb 395rb/ erunt praedicamenta distincta et propositiones verae et similia, statim fit contra hypothesim et suppositionem, quia iam non cessat omnis actus intelligendi, non enim ille quo dicitur quod adhuc essent praedicamenta distincta aut propositiones verae. Unde in talibus homo paralogizat se ipsum, non enim potest circumscribi omnis actus intellectus et cum hoc enuntiari aliquid quin statim habeas
900 aliquem actum intellectus, et ille est qui omni alio circumscripto facit distinctionem praedicamentorum vel veritatem propositionum.

Ad septimum dicendum quod, rosa non existente nec aliquo intellectu apprehendente, non est magis ens rosa quam chimera, cum utrumque sit nihil. Sed statim, dum chimaera apprehenditur et similiter rosa, magis est ens rosa, quae non est figmentum sed vera res posita in
905 esse intuito et prospecto, quam chimaera, quae est omnino figmentum. Realitas ergo rosae aequae nihil est sicut chimaera, nisi ponitur existere vel extra realiter vel in anima obiective.

Ad octavum dicendum quod omnis determinatio ponit circa id quod determinat suum formalem effectum; sunt autem quaedam determinationes distrahentes, quaedam autem perficientes, quaedam vero indifferentes. Distrahentes quidem ut mortuum vel pictum, et ex illis
910 statim infertur negatio sui substrati; sequitur enim: ‘homo pictus vel mortuus, igitur non homo.’ Perficientes vero sunt ut album vel nigrum, et ex illis infertur substratum; sequitur enim ‘est homo albus, ergo homo’. Indifferentes vero sunt ut intelligibilitas vel esse intellectum, et tales nec inferunt substratum nec negationem illius; non enim sequitur: ‘est intellectum, ergo est’, quia chimaera est opinabilis et tamen non est; nec sequitur ‘et ergo non est’, quia Deus est
915 intelligibilis qui tamen semper est. Sic igitur, dum lapis intelligitur, relatio intelligibilitatis fundatur super lapidem, non prout habet esse intellectum, quia tunc vel idem fundaretur in se vel procederetur in infinitum, nec etiam prout habet esse aliquod reale in se, sed immediate fundatur super lapidem qui est prima intentio. Nec tamen ista relatio exigit aut ponit circa lapidem aliquam entitatem, nec etiam non-entitatem, cum non sit determinatio perficiens aut
920 distrahens, sed indifferenter se habens. /X 840a/

Ad nonum dicendum quod in illa consequentia est fallacia secundum quid ad simpliciter. In prima namque propositione ‘creabile’ quod se tenet ex parte praedicati facit supponere ly ‘est’ pro esse in potentia, quia dictiones terminatae in ‘-bilis’ notant aptitudinem et potentiam. In secunda vero li ‘aliquid’ quod se tenet ex parte praedicati determinat ly ‘est’ et facit supponere
925 pro entitate actuali, et ideo non sequitur ‘aliquid est creabile, ergo creabile est aliquid.’

Ad ultimum dicendum quod veritates propositionum non possunt esse magis aeternae quam ipsae propositiones de quibus constat quod non sunt nisi apud aliquem intellectum. Quod ergo dicit Augustinus veritatem non esse ab hominibus institutam, utique verum est quod veritas oritur ex condicione terminorum. Conceptus autem terminorum aliquid includit non causatum
930 ab intellectu, videlicet realitatem, et aliquid causatum, conceptionem scilicet passivam illius realitatis. Nunc autem veritas propositionis sequitur conceptum terminorum ratione realitatis, et hinc est quod non dicitur veritas ab hominibus instituta, sed animadversa.

Quod vero additur /Vb 395va/ de Anselmo, patet quod ideo veritas non habet principium neque finem, quia in potestate nostra est, dum intelligimus veritatem cessare, ut statim

935 formemus aliam propositionem dicendo quod veritas cessavit quae utique erit vera. Unde fundatur ista aeternitas ex hoc quod est possibile procedere in infinitum in actibus intellectus, et ideo, dum ponitur primus, cui attribuitur veritatis initium, statim potest haberi alius prior, cui etiam attribuetur veritas, et ita praecedet veritas initium veritatis, unde tales hypotheses recipi non debent, quia statim repugnantia coincludunt.

940 **Ad tertio obiecta.** Ad ea vero quae tertio inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod perfectionis est in intellectu humano suum intuitum posse terminare ad res ipsas potius quam ipsum terminare ad similitudines rerum accidentales sibi impressas. In Deo vero maioris perfectionis est quod suum intuitum ad creaturas non terminat, sed ad ipsammet deitatem et ad 945 suum verbum subsistens.

Ad secundum dicendum quod Deus dicitur habere electos suos in praesentia, non quidem terminative, sed eminenter et denominative, quia deitate existente sibi praesente omnia sibi sunt praesentia eminentius quam si praesentarentur in se ipsis. Et per idem patet ad tertium et quartum.

950 Ad ultimum dicendum quod rationes aeternae sive ideae non sunt aliud quam ipsamet deitas quae, cum sit una pluraliter, dicitur propter connotata. Et de hoc magis patebit in quaestione sequenti. /X 840b/